



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.  
Doctoris Vita**

**Lancilottus, Corneille**

**Antverpiæ, 1616**

Cap. XLII. Quantum exemplis perfectiorum hominum fuerit inflammatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42857**

Lib. 9. Cō-  
fess. cap. 3.  
& lib. 10.  
& Soliloq.  
cap. 31.

*eleēmosynam. Non dicimus, ut tu ei des, sed ne repellas manum dantis. In quod se commisisse recordatus, dolet quòd corde pleno Christi militiā, vel vnam horam distulerit se illi accingere, & non quantocyùs bellum mundo carniq̄ue indixerit: & alibi, Serò te amavi, inquit, pulcritudo tam antiqua & tam noua. Serò te amavi, vā tempori illi, quando te non amavi.*

## CAPVT XLII.

*Quantum exemplis perfectiorum hominum fuerit inflammatus.*

Lib. 9. Cō-  
fess. cap. 2.

*Subducit se à professione literariā.*

**V**OLVNTATE igitur Deo vacandi & videndi, quoniam ipse est Dominus, penitus confirmatā, Baptismum suscipere, ac dein religiosam vitam amplecti omnino decreuit. Quare statim post vindemiales ferias (viginti circiter dies restabant) leuiter se subtrahere professioni literariæ statuit, gaudius quòd fatiscentis pectoris subesset quoque non mendax excusatio, quæ offensionem hominum temperaret, qui propter liberos suos, illum liberum numquam esse volebant. Opportunam hanc relinquendę cathedræ occasionē nactus, verā ipsam causam, quæ erat stabile Deo seruiendi propositū, vitæ laxioris amatores celat, ne rumoribus forsan vel malefaniis illorum persuasione-



tionibus ac blanditiis, quæ tunc primùm se  
 produnt, intepefceret: *Tu nobis* (Deo lo-  
 quitur) à conualle plorationis ascendentes,  
 & cantantibus canticum graduum, dederas  
 sagittas acutas, & carbones vastatores; ad-  
 uersus linguam subdolam, velut consulendo  
 contradicentem, & sicut cibum assolet, aman-  
 do consumentem. Sagittaueras tu cor nostrum  
 charitate tuâ, & gestabamus verba tua trans-  
 fixa visceribus, & exempla seruorum tuorum  
 (Victorini, Antonij, & istorum aulicorum,  
 de quibus antè dictum est) quos de nigris  
 lucidos, & de mortuis viuos feceras, congesta  
 in sinum cogitationis nostræ, urebant & ab-  
 sumebant grauem torporem, ne in ima verge-  
 remus, & accendebant nos validè, ut omnis  
 ex linguâ subdolâ contradictionis flatus in-  
 flammare nos acriùs posset, non extinguere.

*Exempla  
 antecessoris  
 cor Augu-  
 stini in bo-  
 no firmani.*

Cùm ijs igitur sui antè similibus, ad om-  
 nem remoram tollendam, nihil de consilio  
 communicauit, sed cum Deum timentibus  
 amicorumque fidelissimis tantùm, in-  
 ter quos Verecundo cuidam, qui Euangeli-  
 cæ perfectionis amore inflammatus mace-  
 rabatur anxietudine de Augustini & fami-  
 liarium eius bono, quòd propter vincula, qui-  
 bus tenacissimè tenebatur, deserere se eorum  
 consortio videbat, nondum Christianus con-  
 iuge fideli, eâ tamen ipsâ, arctiore præ ceteris  
 compe-

*Mundum  
 deserendi  
 propositum  
 fides tan-  
 tummodò  
 cum amicis  
 comunicat.*

*Lib. 9. Cõ-  
 fell. cap. 3.*



*compede ab itinere, castitatis religiosæ, quod  
 ingressi erant, retardabatur: nec Christianum  
 esse alio modo se velle dicebat, quàm illo quo  
 non poterat. Hunc igitur consolantes tristem,  
 saluâ amicitia, de tali eorum conuersione, co-  
 hortati sunt ad fidem gradus sui, vitæ scilicet  
 coniugalis, in quâ tamen salus, non tamen  
 is beatitudinis gradus est, qui continentia  
 est proprius. Hic Verecundus Augustino  
 socijsque eius benignè rus suum Castiacum  
 obtulit, ubi ab æstu seculi in Domino quie-  
 uerunt, vouentes inuicem, vt is pro rure illo  
 redderet ei semper virentis paradisi amœni-  
 tatem. Angebatur tunc ipse, Nebridius verò  
 Augustini socius licet nec ipse omnino  
 Christianus esset, tamen plurimum collæ-  
 tabatur, multa Augustinum de fidei myste-  
 rijs interrogans, & paulò post in castitatis  
 perfectæ studio emoriens. Nunc (loquitur  
 Deo) ille vinit in sinu Abrahæ dulcis amicus  
 meus. Nam quis alius tali animæ locus? Tam  
 non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os  
 ad fontem tuum, & bibit quantum potest sa-  
 pientiam pro auiditate suâ sine fine felix.  
 Nec sic eum arbitror inebriari ex eâ, vt obli-  
 uiscatur mei, cum tu Domine, quem potat ille,  
 nostri sis memor. Hunc itaque Nebridium  
 opperientibus Augustino & socijs, euoluti  
 sunt tandem feriarum dies, qui longi &  
 multi*



*multi videbantur præ amore libertatis otiose, ad cantandum de medullis omnibus, Tibi dixit cor meum, quasi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram, nimirum oculis animæ meæ, pulcritudinem tuam intueri desiderans, ceteraque cuncta fastidians. Hoc mihi superest vnicum studium; non solum ut in æternâ beatitudine vultum tuum reuelatâ contempler facie, verum etiam ut in hac vitâ seriò recogitem actionum mearum omnium inspectorem, utque in honorem nominis tui, tamquam in vltimum scopum opera mea omnia conuertam.*

## CAPVT XLIII.

*Rus abit, ut ad Baptismum se pararet, libros aliquot componit. Psalmum IV. accommodè explicat conuersioni, quam accelerat, odontalgia diuinitus liberatus.*

**P**ROFESSIONE ergo Rhetoricâ, ceterisque impedimentis iam expeditus, in Verecundi villam quieti aptissimam, cum Monicâ secundum matrem, suauissimisque collegis Alipio, Nebridio, & Adeodato puero secessit, inibi namque sine dubio videbat se ad Baptismum commodius posse disponi. Sicut enim aqua fontis turbida non reddit iuxta se positarum rerum imagines,

*Rus & secessus à turbâ animo reparando sunt aptissima.*  
Lib. 9 Cōfess. cap. 4.